

DE  
**PRINCIPIO RATIONIS  
SVFFICIENTIS  
LIBERTATEQUE AC HVIVS  
CVM ILLO ET DIVINA  
PRAESENTIA CONSENSV**

---

DISSERTATIO I.

DE  
**PRINCIPIO RATIONIS  
SVFFICIENTIS**

QVAM  
FORTVNANTE DEO T. O. M.  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIP E HEREDITARIO

AC DOMINO

**DOMINO FRIDERICO**  
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA

PRAESIDE  
**IOANNE FRANCISCO COING**

PHILOSOPHIAE PROFESSORE ORDINARIO  
AD DIEM APRILIS CLOCCCLVI.

DEFENDENT

**H V G O G R A V**

NIEDERAVLENSIS HASSVS

**IACOB CONRAD LEDDERHOSE**

NIEDERN-AVLA HASSVS

**ALVMNI PRINCIPALES.**

MARBURGI

TYPI PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI ACAD. TYPOGR.

Philo 505.  
502.

Philo 502

Philos. 502  
Be VIRO

CONSULTISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO

IOH. HVGONI CRAVSE,

PRAETORI GRAVISSIMO FRANCKENBERGENSI,

SVO SVSCEPTORI E FONTE BAPTISMATIS

HONORATISSIMO

ATQVE

HVIUS FRATRI OPTIMO,

DOMINO

IOH. GVILIELMO CRAVSE,

V. I. CANDIDATO DOCTISSIMO

SVIS

AVVNCVLIS AC PATRONIS, OMNI HONORIS ATQVE  
OBSEQVII OFFICIO AD CINERES VSQUE COLENDIS.

PRAESENTES HASCE PAGELLAS,

IN ANIMI DEVINCTISSIMI TESSERAM,

EA QVA PAR EST PIETATE,

OFFERT ET DICAT

JOH. HVGO CRAV

NIEDERAVLENsis HASSVS.

1402 739.01



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O PH<sup>I</sup>LOSOPHICA  
DE  
**PRINCIPIO RATIONIS  
SVFFICIENTIS.**

---

§. I.

Principii rationis sufficientis cum nostra hominum, quin etiam ipsius Dei libertate consensus, in recentiori philosophia reuera labyrinthus fuit Philosophorum. Fuerunt qui in horum concordia seruanda principium rationis sufficientis saepius ita sunt tuiti, ut, quod quidem mihi videtur, veri nominis libertas non semper maneret sarta atque tecta: non animo ut fatum vel oculatum vel coecum in mundum ingererent, aliis imponerent, mitioribusque hinc inde vocabulis suam mentem celarent, et quae sunt aliae criminaciones vitio illis datae; quod de viris circa religionem et veritatem adeo meritis vel cogitare, sibi summae duendum foret religioni, nos tamen hoc potius mori dissentientium

tientium tribuimus. Nec defuerunt viri perspicacissimi, qui discors illud cum libertate principium, a prioribus ad coelum usque euectum, praecipitarunt, atque illud vel nullius, vel parui pretii deputauerent.

## §. II.

Hanc rem mecum saepius agens, in medio veritatem conspicari mihi ego sum visus: ut itaque in libertate stabienda non sit opus, principium hocce reuera magnum euertere, vel ita huius patrocinium suscipere, ut libertas, ~~etiam~~  
~~hocce~~, iaceat, vel patiatur. Quae sum meditatus cum publico, praesertim aequis rerum aestimatoribus, communicare constitui. Hoc ordine: ut primo differam de principio rationis sufficientis; in sequentibus autem de Dei et hominis libertate, huiusque cum principio rationis sufficientis et praescientia consensu.

maioris  
adiu mo-  
menti

## §. III.

Principium rationis sufficientis salutatur sequens propositione: *nihil est sine ratione sufficiente*, seu affirmativa pronuntiatione: *omne quicquid est habet rationem sufficientem*. Id, unde est, cur aliquid sit quod est, huius ratio vocatur, et hocce illius rationatum. Praeter quam nihil amplius requiritur, ut res sit quod est, consequenter cur potius sit quam non sit, nec aliter, *sufficiens* audit; *insufficiens* itaque non nisi illius est pars. Omnis itaque ratio, quae ratio vocari meretur, semper est sufficiens, et insufficiens sola posita tantundem est rationato quantum nulla ratio. Sic qui diligens est, non autem ordine dificit, atque est stupidus cert., nunquam euadet vir doctus. Id

vnde

## DE PRINCIPIO RATIONIS SVFFICIENTIS. 5

vnde est, cur aliquid sit possibile potius quam non, vocatur *ratio possibilitatis, effendi*; id vnde est, cur aliquid existat potius quam non, *ratio existentiae, fieri actualitatis audit*; id vnde rem cognoscimus *ratio cognitionis, cognoscendi insignitur*. Duae priores vocantur etiam *ratio realis, ratio rei*, quia earum rationatum est res, possibile vel existens, aliquid extra nostrum intellectum, et, quae restat, *idealibus seu simpliciter cognitionis*, quia huius rationatum mera est cognitio, non aliquid extra nostrum intellectum. Quoniam ex eo, vnde res est, eam etiam cognoscere possum: hinc ratio realis simul esse potest idealis, non autem haec semper simul est realis. Differentia haec inter rationem realem et idealem, quam maximi est momenti, ut mox videbimus.

N. 1. Plerumque definiri solet ratio per *id, ex quo intelligitur cur aliquid sit quod est*; sed haec paululum propendit ad declarandam quandam eius speciem, *rationem cognitionis*, quod et facile confusione cuidam ansam praebet, cuius mox exemplum dabimus. Non nescio eam secundum sensum cum nostra iam data conuenire, et in abstractioribus exprimendis sat commodes saepius deficere locutiones, vbi tum sensui potius quam verbis erit inhaerendum: interim, quantum illud fieri potest, abstinere debemus a terminis non satis accurate significantibus. Illam alii ita corrigunt ratio est *id, quod efficit, ut aliquid sit quod est*, sed terminus adhibitus *efficit*, nimis etiam est specialis, non per bene adhibetur in ratione possibilis, et ratione existentiae, quam in se continet ens necessarium: nec accurate dicimus, ratio possibilitatis est *id, quod efficit ut aliquid sit possibile*, nec dicere possumus entis necessarii ratio intrinseca est *id, quod*

efficit, vt existat. Non haec attulimus animo, vt viros, quos magni reuera facimus, taxemus, quapropter et locutionibus eorum, re nunc satis declarata, in sequentibus vtemur; sed potius, vt definitio nostra data eo melius intelligatur, et rationes redamus, cur in declaranda ratione paululum ab aliis differamus.

N. 2. Illustris DE PREMONTVAL, Philosophus subtilissimus, in sua pertractatione, quam inscribit: *Du Hazard sous l'empire de la prudence*, principium rationis sufficientis, eo quod libertatem hominis euertat, miserrime tractat. Ingenio suo fertilissimo illud funditus perdere nititur, quapropter ipsam rationem sufficientem non esse perhibet, nisi chimaeram, terminum inanem. En ipissima eius verba: „Voila le premier exemple par lequel Mr. WOLFF explique sa definition de la raison suffisante, „Les trois cotés du triangle dit il sont la raison suffisant de trois angles parce qu'ils suffisent a faire comprendre, que le triangle a trois angles. „Comme si l'on n'avoit pas également fondé a dire, que les trois angles du triangle sont la raison suffisante de trois cotés, parce qu'ils suffisent a faire comprendre, que le triangle a trois cotés. Mais dans la vérité il n'y a point de la raison suffisante ; point de pourquoi, qu'un pourquoi, puerile, point de priorité, qu'une priorité arbitraire. Tous marche a la fois, mais celui a qui il arriue, de concevoir d'abord trois angles, en conclut trois cotés, et celui a qui il arriue de concevoir d'abord trois cotés en conclut trois angles “ cet. videantur pag. 105. 106. Confer simul p. 87. Vir celeberrimus hic confundit rationem idealē et realē. In ideali ex rationato iterum eius ratio intelligitur, adeoque ibi ynum alterius ratio esse potest; sic tres lineae

## DE PRINCIPIO RATIONIS SVFFICIENTIS. 7

neae extremis punctis concurrentes, sufficient ad intelligendum, cur adsint tres anguli, et ex tribus angulis intelligere possum adesse tres lineas; inde simul est *cur le theoreme deuient corolaire* *cur,* *et le corolaire deuient theoreme:* sed res aliter se habet in ratione reali et eius rationato, ibi vnum alterius ratio esse nequit, tres lineae extremis punctis concurrentes sunt id, vnde est, sufficient ut adsint tres anguli, determinant tres angulos, quod, ut qui-libet videt, non valet vice versa; licet positis tribus lineis re-tis statim etiam tres anguli ponantur, tamen adest quaedam hic prioritas, ut vnum per aliud ponatur, non vice versa. Non haec fusius vrgebimus, ut autem simul verum fateamur, defini-tio rationis consueta huic confusione occasionem obtulit.

### §. IV.

Principium rationis sufficientis itaque, pro triplici rationis sensu, tres sequentes complectitur propositiones, quae singulæ pro illius vniuersalitate erunt demonstrandæ.

1. Omne possibile sui rationem sufficientem habet possi-bilitatis.
2. Omne existens sui rationem sufficientem habet existen-tiae.
3. Omnis cognitio rationem sufficientem cognitionis.

### §. V.

Primæ propositionis, *omne possibile habet rationem sufficien-tem possibilitatis*, veritas, ex penitiori inuestigatione in naturam possibilis, facile apparebit. Possibile ponitur in non-contradi-ctione

Etione variorum alicuius, haec non-contradiccio seu non-repugnantia fundatur in natura et in sole horum entis variorum primorum, sic natura, indoles, trium linearum, quarum duea simul sumtae tertia sunt maiores, efficit, ut extremis punctis concurrere queant, ergo aliquid adest, vnde est, quod efficit, ut varia simul sumta sibi inuicem non repugnant, nimurum *variorum indoles et natura*, quod sic deprehendimus in omni possibili, et praeter hoc nil amplius requiritur: consequenter omne possibile sui habet rationem sufficientem possibilitatis conf. §. III; et nisi ratio haec possibilitatis inesset possibili, nullum adesset discrimen intrinsecum inter possibile et impossibile, et hoc eodem iure possibile vocare possemus ac illud. Annon ratio haec efficit, ut triangulum sit aliquid, possibile? ob cuius defectum bilineum rectilineum est nihil, impossibile. Est vero ratio quam dedimus *realis minime mera idealis*, quamuis hanc simul praebeat, confer. §. III.

N. I. Celeberrimus DE PREMONTVAL etiam secundum hanc partem aggreditur principium rationis sufficientis. Breuitatis ergo ipsissima eius verba iam non adferemus. Inueniuntur quae hanc rem attinent pag. 102 103 et 109 lib. cit. In ratione sufficiente possibilis reddenda, opinatur vir subtilissimus, vel committi circulum, *possibilia sunt quia non repugnant, non repugnant quia sunt possibilia*; vel loco rationis sufficientis substitui terminum aequipollentem, *possibilia sunt quia non repugnant, non repugnant quia non implicant* et sic in infinitum; vel aperte dicendum, *non repugnant quia non repugnant*, quod idem esset ac si diceremus: *possibilia sunt quia possibilia sunt*: inde tum concludit *possibile non habere rationem sufficientem*

*possi-*

## DE PRINCPIO RATIONIS SVFFICIENTIS. 9

*possibilitatis* (vn pourquo de possibilite). Sed conferantur, quae in §o de possibilis ratione stabiliuimus, et quisque statim videbit, me tale quid non admisisse. Possibilitatis ratio continetur in non-contradictione variorum alicuius, cur autem varia haec sibi inuicem non contradicant, ratio sita est in natura et indole horum variorum, quoduis horum variorum talem indolem habet et naturam; vt simul sumta, quam apprime consentiant, sibi non contradicant. Vrgebit vir acutissimus, vnde *indoles haec*, vnde haec *natura variorum*? Ad hoc in sequentibus suo loco respondebimus.

Not. 2. Illustris etiam D ARIES I V S, essentiis rationem sufficientem denegavit (\*). Quod essentia sit primum in ente, hoc non impedit, quo minus habeat rationem sufficientem internam; hinc celat in natura et indole suorum variorum. Concedit vir in metaphysicis versatissimus essentiis rationem idealē, et denegat realem; sed quaenam illa alia est ac quam nostra realis data suppeditat?

(\*) Videantur dessen philosophische Neben-Stunden, die erste Sammlung, vomzureichenden Grund p. 31.

### §. VI.

Ad demonstrationem nostram, §o antecedente, eo melius intelligendam, adhuc hoc notetur. Intellectus noster, quin imo infinitus diuinus, possibile non efficit, sed repreäsentat. An intellectus diuinus efficit vt tres lineae extremis punctis concurrere queant? hoc ab omni aeternitate vt possibile repreäsentat, sed ipsa possibilitas sita est in natura variorum eius primo-

rum. Errant itaque, ut hoc in transitu moneamus, qui cum perillustri Wolffio fontem essentiarum solummodo quaerunt in intellectu diuino. Intellectus diuinus est quidem fons possibilium, ut representabilium, seu subiective, consideratorum, sed, obiective consideratorum intellectus diuinus fons vocari nequit, hic est essentia Diuina perfectissima, quae consistit in conuenientia omnium realitatum seu perfectionum absolutarum, unde est, ut et realitates cum defectu, et quidem infinita varietate, sint aliquid, possibilia; ex quo fonte uberrimo, sibi satis perspecto, intellectus procul dubio diuinus rerum hausit ideas sibi naturales.

## §. VII.

Transimus ad propositionem sequentem, *omne existens habet rationem sufficientem existentiae*, secundam partem principii rationis sufficientis. Huius pars potior, *nihil fit sine causa, sine ratione sufficiente*, antiquioribus iam Philosophis satis fuit nota. Per hanc inculcare volebant, omne existens ortum, et omnem actionem sui agnoscere semper causam, quod virumque sese nobis etiam facile approbat. Existens enim ortum per sui notionem, causam agnoscit; alias vel semet ipsum produxit, vel a nihilo esset productus, vel non esset ortum cert., quae omnia implicant. Aetio quid aliud est ac applicatio alicuius vis: hinc nulla fieri potest nisi talis vis et tantum impendatur, ut inde sit haec actio non alia. Evidenter itaque est hoc axioma veterum: *nihil est sine causa*.

Postea id extenderunt Philosophi ad existentiam diuinam, entis necessarii, nec hoc, afferentes, licet sui causam non agnoscat,

## DE PRINCIPIO RATIONIS SVFFICIENTIS 71

scat, destitui ratione sufficiente; cui magno cum strepitu, vt hoc ex cuntrouersiis ob philosophiam Cartesianam motis, patet, multi se opposuerunt Theologi et Philosophi, opinantes, sensui huius axiomatis pristino assueti, per hoc insinuari ens necessarium sui ipsius esse causam. Vt dicam, quod res est. Ens necessarium, licet causam non habere, nec sui ipsius esse queat, tamen in se aliquid continere debet, vnde sit cur potius sic existat quam non. Annon omnes concedunt naturam, indolem, entis necessarii esse plane aliam ac entis contingentis, quod quando existit ab alio debet produci, cum illius indoles et natura simul suam existentiam includat: quid hoc aliud volunt, ac esse naturam, indolem, entis necessarii talem, vt non aliter quam existere possit, consequenter inesse aliquid huic ente vnde sit cur potius sic existat quam non; quanquam talem modum existendi nos perspicere non valemus. Vt itaque non videam cur adhuc, cum hodienum haec sint planiora, Viri Philosophi reperiantur, qui circa hanc propositionem haereant, et secundum hanc etiam partem principium rationis sufficientis limitare velint.

Not. Durissime reuera cum principio rationis sufficientis agit illustris DE PREMONTVAL, ita etiam vt radicitus illud velle eruere videatur. Parti eius, *nihil fit sine causa*, quam tanquam truncum grauissimi etiam eius aduersarii, ipsi adhuc reliquum faciunt, nequidem parcer conf. pag. 83 lib. cit. Sed si vñquam ingenii subtilitate, reuera hic, abutitur vir ingeniosissimus. Non omnia, quae vacillant in his paginis, percensebo: hoc saltem monebo, eodem modo, quo auctor vsus est, plurima axiomata in ludibria verti posse. Maior pars axiomatum hanc indolem habet, vt notio praedicati statim intelligatur per notionem sub-

iecti; facile itaque per analysin notionum ad propositiones iden-  
ticas possunt reduci; si quid tunc ingenii adhibeatur facilime  
fertilissima etiam axiomata traducuntur.

## §. VIII.

Aut fallor, aut ita propositionem, *omne existens habet rationem sufficientem*, illustravi, ut simul eam sufficienter demonstraverim; sed quia rationes hinc inde saltem sunt intersparsae, ar-  
gumentum suppeditabo, quod vna propositionem demonstrabit.

Si a posse ad esse non valet consequentia, sequitur, vt  
aliquid adsit vnde sit existens.

Atqui a posse ad esse non valet consequentia.

Ergo aliquid adsit, oportet vnde sit existens.

Si aliquid adsit oportet, vnde sit existens, sequitur, *omne existens habere rationem sufficientem existentiae*.

Aqui verum prius, per demonstrata.

Ergo et posterius,

Prosylogismi maior propositio fere illustratione non indi-  
ger, si enim aliquid sine ratione haberet existentiam (seu vt  
non aliquid adsit vnde sit existens) reuera pateret transitus a  
possibilitate ad existentiam: hinc sequitur si *a posse* (*a possibili-  
te*) *ad esse* (*ad existentiam*) *non valet consequentia* aliquid adsit  
oportet vnde sit existens.

Minor eiusdem est decantatissimum axioma Philosopho-  
rum, quod saltem cum in finem perlustrabimus, vt ne quis ob-  
iiciat, iam hanc propositionem supponere principium rationis  
sufficientis; ex hac propositione, *omne existens habet rationem sufficientem*, demum intelligi alteram, *a posse ad esse non valet con-  
sequentia*. Non nego axioma nostrum ex pluribus rationibus

## DE PRINCIPIO RATIONIS FVFFICIENTIS. 13

vt verum nobis constare posse, etiam inde, quia *omne existens requirit rationem sufficientem*; principium enim et principiatum, vnum ex altero intelligitur. Sed quaeritur, an non huius propositionis veritas independenter a principio rationis sufficientis perspici queat? quod statim ostendemus. *A posse ad esse non valet consequentia*, in synthetica veritatis inquisitione verum deprehendo per suas notiones. Quid est possibile? possibile est cuius varia non contradicunt, cuius itaque varia sunt eiusmodi, vt simul vna esse possint, consentiant; quamcunque etiamnum habeam existentiae notionem *confusam* vel *distinctam* facile intellico, quod possibile est ea propter nondum existere.

Maior Episyllogismi est in promtu. Id, vnde est, vt aliquid existat, *ratio est existentiae, sufficiens autem, quae tota requiritur ut res sit quod est*, conf. §. III; si nunc aliquid requireretur, et non tantum ut tota sit ratio perinde esset, ac si nihil requireretur, conf. eundem §. quod contradictorium: hinc si aliquid requiritur vnde sit existens, existens habet *rationem*; et si tantum ut tota si ratio *rationem sufficientem*. Proprie syllogismus est compositus, vbi in priori probatur per antecedentem conclusio-*nem existens habere rationem*; in posteriori, hanc rationem esse *sufficientem*. Breuitatis autem hic studiosus eos implicaui.

### §. IX.

Tertia nunc propositio, *omnis cognitio rationem habet sufficientem cognitionis*, facile liquet. Si enim omne possibile et existens, quod probamus, habet rationem realem, et omnis realis simul praebet idealem, confer. §. III, sequitur, et omne cognoscibile habere rationem idealem seu cognitionis, Cognitio enim pro obiecto habet vel possibile vel existens, et horum

realis simul porrigit idealem. Non tamen negamus rationem idealem etiam aliunde nasci posse conf. §. III.

Not. Etiam huius propositionis vniuersalitatem quidam inficiantur, vera *inquiunt*, cognitio tantum habet rationem sufficientem, non falsa: ergo non omnis cognitio habet rationem sufficientem. Sed respondemus: falsa cognitio proprie non est cognitio, et obiective sumta nihil est, adeoque nec indiget ratione, sed, ut aliquid consideratum, est actus intellectus, et qua talis habet rationem sufficientem conf. §. VII.

### §. X.

Nil, vt puto, restat probandi ad vniuersalitatem principii rationis sufficientis- nec ita antea explicatum, et in suas simplices, quas continet propositiones resolutum, ambiguitatis amplius, quod a quibusdam fieri solet, argui poterit; siquidem, cuius quaero rationem sufficientem, id mihi simul determinat qualem; quod si hoc fuerit cognitio, per se intelligitur peti rationem *idealem*, sin fuerit existens vel possibile, rationem vel fiendi, vel possibilitatis.

### §. XI.

Vt autem verum fatear, non tantum vt eo melius intelligatur principium, quod tractamus, necessarium duxi, illud antea in suas simplices propositiones resoluere, sed simul ob eius probationem: nullum enim inueniri potui argumentum, quod vna vniuersum hocce principium demonstraret, et fortasse tale etiam non datur, quandoquidem, quas complectitur, tres sunt propositiones, a se inuicem sua natura diuersae, quae itaque simul per eundem terminum medium non facile probari poterunt; et vt hoc cum pace suminorum virorum prodam, nullum tale etiam haec tenus deprehendi apud alios, vel enim saltem probant secundam

## DE PRINCIPIO RATIONIS SVFFICIENTIS. 15

cundam propositionem, omne existens suam habet rationem sufficientem, vel, vt quidam, non tamen per eundem terminum medium, simul primam, nunquam autem vna vniuersum principium, multa etiam argumenta nihil probant. Primo intuitu semper nobis approbavit celeberrimi MEIERI argumentum, quod cum orbe eruditio communicauit, in der Beurtheilung der Boelsdickischen Theodicee p. 23; et in sua, quam iam publici iuris facit Metaphysica, repetit. Sed cum hoc paululum nobiscum agitaremus, illud cognoui vitiosum. Ut hoc eo melius pateat, ipsum argumentum, saltem initium, apponam. § 33 Metaphysics, in medio §phi ita ccleberrimus auctor: „Alles was möglich ist kann vorgestellet „u. s. w. entweder aus was oder nicht „, si primum pergit omne possibile habet rationem sufficientem et sic quidem recte; nunc videamus quomodo alterum membrum tollit; „denn wenn, inquit, eine „mögliche Sache nicht könnte aus etwas sc. vorgestellt werden; so „könnte sie vorgestellt werden aus nicht etwas, oder aus einer nicht möglichen Sache, weil es in allen verneinenden Sätzen einerley ist ob die „Vermeinung zum Verbindungswort oder zum prädicat gesetzet „werde „, inde tunc concludit, per hoc membrum poni, nihil simul esse aliquid et nihil, adeoque contradictionem. Sed negamus, quod hic fundamentum est probationis, in omnibus propositionibus negantibus perinde esse, vtrum particula negatiua ponatur ad copulam an ad praedicatum; sensus non semper manet idem. Statim rei dabo exemplum; in propositione, *iudicium non potest esse negatiuum*, particulam negatiuam ad praedicatum transferas, et habebis, *iudicium potest esse non negatiuum*, an perinde hic est, quo particula negatiua ponatur? dum ponitur ad copulam falsa est propositio; sin ad praedicatum, vera est. Non negamus pluries hoc contingere, ut propositiones negatiuae post transpositionem particularae


ticulae negatiuae ad praedicatum cum suis infinitis maneat eadem; sed nec in praesenti casu hoc obtinet. Vtrum hae propositiones: Es kann nicht vorgestellt werden aus etwas; et, es kan vorgestellt werden aus nicht etwas sunt eadem? in hac iam supponitur quod non sit in altera, possibile repraesentari debere ex quo; vt eo magis hoc pateat, hanc loco illius substituam, tunc sequens erit: alles mögliche kann vorgestellt werden entweder aus etwas oder aus nichts etwas. Sed tunc supponitur possibile repraesentari debere ex quo, quod erat probandum.

### .§. XII.

Antequam tractationi praesenti finem imponamus, adhuc obiectio, quae magnam prae se fert speciem, erit remouenda. Si omne habet rationem sufficientem, sequitur, dari progressum in infinitum, alias non omne haberet rationem sufficientem. Verum obiectio haec oritur ex non satis intellecto principio rationis sufficientis. Quando dicitur omne habet rationem sufficientem, tunc mens haec est: omne existens, omne possibile, et omnis cognitio habet rationem sufficientem. Ea propter ratio intrinseca entis necessarii non amplius indiget vltiori, quia haec non est ens existens, nec ratio possibilitatis, quam essentia in se continet, ex eadem rationes licet vltimato essentiae omnes a diuina perfectissima dependeant confer §. VI. Magis hi insident signo vniuersalitatis quam sensus principii hic permittit.

Not. Sunt adhuc quaedam dubia, quae adhuc essent discutienda, sed nos haec nobis loco opportuniori, in tractationibus sequentibus, reseruabimus. Nec indignabuntur Viri magni, a quibus dissentio, quod placita eorum perlustrauerim; insufficienter praefens obiectum tractassem, si haec intacta reliquissem.





## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

**TIFFEN® Gray Scale**

© The Tiffen Company, 2007

